

## **Einhardus, *Vita Caroli Magni***

**cap. 24.** In cibo et potu temperans, sed in potu temperantior, quippe qui ebrietatem in qualicumque homine, nedum in se ac suis, plurimum abhominabatur. Cibo enim non adeo abstinere puterat, ut saepe quereretur noxia corpori suo esse ieunia. Convivabatur rarissime, et hoc praecipuis tantum festivitatibus, tunc tamen cum magno hominum numero. Caena cotidiana quaternis tantum ferculis praebebatur, praeter assam, quam venatores veribus inferre solebant, qua ille libentius quam ullo alio cibo vescebatur. Inter caenandum aut aliquod acroama aut lectorem audiebat. Legebantur ei historiae et antiquorum res gestae. Delectabatur et libris sancti Augustini, praecipueque his qui de civitate Dei praetitulati sunt. Vini et omnis potus adeo parcus in bibendo erat, ut super caenam raro plus quam ter biberet. Aestate post cibum meridianum pomorum aliiquid sumens ac semel bibens, depositis vestibus et calciamentis, velut noctu solitus erat, duabus aut tribus horis quiescebat...

**cap. 25.** Erat eloquentia copiosus et exuberans poteratque quicquid vellet apertissime exprimere. Nec patrio tantum sermone contentus, etiam peregrinis linguis ediscendis operam impedit. In quibus Latinam ita didicit, ut aequa illa ac patria lingua orare sit solitus, Grecam vero melius intellegere quam pronuntiare poterat. Adeo quidem facundus erat, ut etiam dicaculus appareret.

Artes liberales studiosissime coluit, earumque doctores plurimum veneratus magnis adficiebat honoribus. In discenda grammatica Petrum Pisanum diaconem senem audivit, in ceteris disciplinis Albinum cognomento Alcoinum, item diaconem, de Brittanica Saxonici generis hominem, virum undecumque doctissimum, praceptorum habuit, apud quem et rethoricae et dialecticae, praecipue tamen astronomiae ediscendae plurimum et temporis et laboris inpertivit. Discebat artem computandi et intentione sagaci siderum cursum curiosissime rimabatur.

Temptabat et scribere tabulasque et codicellos ad hoc in lecto sub cervicalibus circumferre solebat, ut, cum vacuum tempus esset, manum litteris effigiendis adsuesceret, sed parum successit labor praeposterus ac sero inchoatus.

## *De compassione beatae Mariae (sekvence)*

1. Stabat mater dolorosa  
Iuxta crucem lacrimosa,  
Dum pendebat filius;  
Cuius animam gementem,  
Contristantem et dolentem  
Pertransivit gladius.
2. O quam tristis et afflita  
Fuit illa benedicta  
Mater unigeniti!  
Quae maerebat et dolebat  
Et tremebat, cum videbat  
Nati poenas incliti.
3. Quis est homo, qui non fleret,  
Matrem Christi si videret  
In tanto supplicio?  
Quis non posset contristari,  
Piam matrem contemplari  
Dolentem cum filio?
4. Pro peccatis suae gentis  
Iesum vidit in tormentis  
Et flagellis subditum,  
Vidit suum dulcem natum  
Morientem, desolatum,  
Cum emisit spiritum.
5. Eia, mater, fons amoris,  
Me sentire vim doloris  
Fac, ut tecum lugeam;  
Fac, ut ardeat cor meum  
In amando Christum Deum,  
Ut sibi complaceam.
6. Sancta mater, illud agas,  
Crucifixi fige plagas  
Cordi meo valide;  
Tui nati vulnerati,  
Iam dignati pro me pati  
Poenas mecum divide.
7. Fac me vere tecum flere,  
Crucifixo condolere,  
Donec ego vixero.  
Iuxta crucem tecum stare,  
Te libenter sociare  
In planctu desidero.
8. Virgo virginum praecclara,  
Mihi iam non sis amara,  
Fac me tecum plangere,  
Fac, ut portem Christi mortem  
Passionis eius sortem  
Et plagas recolere.
9. Fac me plagis vulnerari,  
Cruce hac ineibriari  
Ob amorem filii;  
Inflammatus et accensus  
Per te, virgo, sim defensus  
In die iudicii.
10. Fac me cruce custodiri,  
Morte Christi praemuniri,  
Confoveri gratia;  
Quando corpus morietur,  
Fac ut animae donetur  
Paradisi gloria.